

96 Insuper , si aliquando prædicti Comissorum commissi , sibi ab alijs Fratribus , vel Oblatis eiusdem Ordinis traditas literas ad prædictum Generale Capitulum deferre noluerint : neque similiter locales commissi ad Capitulum Prouinciale : nec etiam aliqui alij Fratres , aut Oblati ad Correctorem Generalem , vel ad proprios Vigiles , aut Prouinciales ; vel aliquando literas ipsas combusserint , aut dissipauerint , vel aperuerint : voce actiua & passiuia per annum priuentur , vel grauius puniatur iuxta deliberationem Generalis , aut proprii Vigilis , vel Prouincialis . Simili poena etiam plectantur quicunque Fratres , qui sibi à Generali , vel propriis Vigilibus , aut Prouincialibus , vel eorum Vicegerentibus traditas literas , aliquibus alijs eiusdem Ordinis Fratribus , aut Oblatis , aliquando portare noluerint : pariformiter puniantur præfati si literas ipsas sibi taliter traditas dissipauerint , violauerint , aut aperuerint , vel portari impediuerint .

97 Insuper , nulli huius Ordinis Prælatorum Socij , absque Superioris sui licentia mittant , neque scribant , neque aperiant alias literas ; nisi pro vt inferius , determinabitur . Siquis verò de contrario legitimè conuictus fuerit : in sui Prælati , vel eo superioris proximiori Capitulo debitè corrigatur . Singuli autē Prælati ( prius etiam non habito suorum Collegarum consensu ) quibuscumque personis scribere poterunt : nisi eis aliquando per siuos respectiue Superiores id ipsum prohibitum foret . Vbi autē simul vnanimirè contradicerent dictorum Prælatorum Socij , quod ipsi Prælati nonnullis personis , de hoc Ordine non existentibus , scriberent : runc per eiusdem , vel proximioris Conuentus capitulo , seu maioris , ac senioris eius partis diffinitionem , & determinationem charitatiue , matureque mitigari valebit eorum differentia huiusmodi . Et ita semper charitatiue , prouidèque fieri poterit , in omnibus , ac singulis differentijs inter quoscumque Prælatos , & eorum Socios , vbius pro tempore subortis . Reliqui verò Fratres , ac Oblati : qui absque sui Superioris licentia , alijs eiusdem Ordinis Fratribus , aut Oblatis scripserint : per ipsum Superiorem , acriter puniantur . Veruntamè , quotiens expediens fuerit , poterunt quicunque Fratres inferiores suis Prælati scribere : ac è contra ipsi etiam Prælati quotiens voluerint ,

*in const. Cle. 8.  
supra casuū re-  
seruat.*

*Suprad Correc-  
35. & 83.*